



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De S. Sisinnio Patriarcha Constantinopolitano Sylloge

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

DE S. SISINNIO PATRIARCHA  
CONSTANTINOPOLITANO

## SYLLOGE

ANNO CCCXXVII  
S. Sisinnius,  
quem soli  
Græcorum Fa-  
sti sacri hic  
memorati

**G**ræcorum Fasti sacri, jam supra in S. Nectario num. 10 et 11 relati, qui hodie ut ibidem vidimus, Constantinopolitanum hunc patriarcham celebrant, hodie pariter Sisinnium, Constantinopolitanum itidem patriarcham, de quo hic modo sumus acturi, commemorant; etsi autem hi omnes seu, ut singulos nominatim etiam hic exprimam, Synaxarium Sirmundianum, Græcorum Bibliothecæ Ambrosianæ Menæa Mss., Græcorum itidem magna Menæa excusa ac denique, quod vernacula Græcorum hodiernorum lingua Maximus Margunius, Cytherorum episcopus, contexit, Menologium, nullo plane elogio adhibito, id præstent, magna tamen Menæa excusa, ut Nectarium jam supra huc transcriptis, ita etiam Sisinnium duobus hisce, in quibus, ut apparet, ad Sisinnii nomen, veluti a verbo *συνέλο*, Latine cribro seu concutio, deductum, frigide pro more suo poeta alludit, sequentibus ornant versiculis:

Ἄσινος ἵσαν πνεύμα τὸ Σισινίου  
Ὁ συνάρθρον μηχαναίς τῶν δαιμόνων.  
Illæsum tulerunt Sisinnii spiritum,  
Dæmonum artibus haud concussum.

Nec id tantum dicta Græcorum Menæa præstant, verum etiam brevem, qua per SS. Nectarii et Sisinnii preces divina misericordia imploratur, orationem, a Margunio in laudatum, quod contexit, Menologium etiam illatam, versiculis jam recitatis subjungunt.

2 Laudata quidem Menæa anno demum 1595 fuerunt excusa; verum ea ipsa diutissime ante exstiterunt Mss., hæcque tum, ut modo excusa, pro recitando ecclesiastico officio solebant a Græcis adhiberi; ut sane, quin

celebrant,  
quemque nihilominus rationibus hic adductis

**C** apud hosce immemorabili cultu Sisinnius gaudet, dubitandum non sit; cum autem sic habeat, non est, cur hic Sanctis haud accenseatur. Solis quidem jam supra memoratis Græcorum nullisque Latinorum Fastis sacris castat inscriptus; verum id pariter locum quantum ad S. Nectarium obtinet, huncque tamen idcirco e Sanctorum numero haud excludendum, ostendunt, quæ supra, ubi de Sancto isto patriarcha Constantinopolitano tractavi, num. 10 et 11 disserui. Esset quidem, cur Sisinnius, cum Græci Sanctis subinde etiam indignos hacque ipsa die Arsacium, e Sanctorum numero, ut jam supra in Prætermissis monui, certo eradendum, accenseant, iis etiam, utut laudatis Græcorum Fastis sacris inscriptus, haud accenseatur, si indignus esse, qui honore hoc afficiatur, probari solide posset; verum nihil omnino, quo id vel utcumque (neque enim eo ignavia, Sancto a quibusdam imputata, conferre etiam, uti ex infra dicendis patescet, quidquam potest) probatum dari queat, invenio, contraque occurrit, quod dignum omnino esse Sisinnium, qui Sanctis annumeretur, ostendit. Lectori id ob oculos hic pono.

3 Coelestinus Papa in epistola, ad Nestor Octobris Tomus V.

rium, qui Sisinnio, Attici successori, in sedem Constantinopolitanam successerat, anno 431 conscripta, apud Labbeum tom. 3 Concil. col. 353 sic scribit: Aliquantis diebus Vitæ nostræ, post nefandum et sæpe damnatum dogma Pelagii atque cælestii, catholica fides quietem habuit, quando eos cum suæ opinionis sequacibus telis unitæ sententiæ Oriens Occidensque percussit. Denique sanctæ recordationis Atticus, catholicæ magister fidei et vere beati Joannis etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro rege communi, ut nec standi quidem illic copia præstaretur. Mansit nos post ejus exitum sollicitudo vel maxima, cum successor ipsius utrum etiam in ejus fide succederet, quæreremus; quia difficile est continuari, quæ bona sunt; nam sibi sæpe alternis vicibus ad-versa succedunt. Habuimus tamen post hunc, a quo eramus, continuo deserendi, sanctum Sisinnium, celebratum simplicitate collegam, eam fidem, quam invenerat, prædicantem. Legerat profecto simplex sanctitas et sancta simplicitas, " Timendum magis, quam alte sibi esse " sapiendum. " Et alibi: " Altiora sectanda " non esse. " Et, iterum: " Si quis aliud prædicaverit, quam quod prædicavimus, anathema " sit. " Ad hæc idem Coelestinus tomo Conciliorum proxime citato col. 365 in epistola, qua clerum populumque Constantinopolitanum adversus Nestorii hæresim præmunuit, de Sancto nostro sequentem loquitur in modum: Habuimus, hoc (S. Attico) decedente, collegam beatæ memoriæ Sisinnium, scientem quid possit gloriæ remanere, si integra et intermerata, quæ ad se usque pervenerant, catholicæ fidei ornamenta servaret. Intelleximus, ei nec columbæ simplicitatem, nec prudentiam defuisse serpentis. Flevimus, fratres carissimi, velut præscii futurorum, cito nos ejus præsidio destitutos.

4 Ita summus Pontifex laudatus; cum sic autem in duobus hisce huc transcriptis textibus perillustre de Sisinnii jam mortui fide et virtute testimonium reddat, hinc sane, omnino dignum esse Sisinnium, qui Sanctis accenseatur, non immerito potest concludi, cumque, ut jam dixi, nullo ex capite possit probari contrarium, ego eum, utut solis Græcorum Fastis sacris inscriptum, Sanctis annumerandum Operique nostro Sancti titulo affectum inserendum existimavi; quod hic monuisse contentus, modo ad ejus in episcopum Constantinopolitanum electionem progredior. Accidit hæc anno 426, uti tradit Marcellinus comes, in chronico, prout id a Panvinio est editum, pag. 63 sic scribens: Indictione IX, Theodosio XII et Valentiniano II coss. Sisinnius, Vir sanctæ simplicitatis et simplicis sanctitatis, Constantinopolitanus episcopus factus est. Tum porro seu anno 426 Constantinopolitanum episcopum factum esse Sisinnium, tradit pariter Hist. ecclesiast. lib. 7, cap. 26 Socrates, qui cum

præclaroque  
Coelestini PP.  
de ejus jam  
mortui fide et  
virtute

testimonio impulsi, in Opus nostrum inferimus, episcopus C Politianus anno 426

81 præterea

AUCTORE  
C. B.

*præterea et rationem, qua id acciderit, et diem, qua episcopus ordinatus fuerit is Sanctus noster, edoceat, lubet et ejus verba huc transcribere. Sequentia hæc sunt: Post obitum Attici ingens contentio de ordinatione episcopi exorta est, aliis alium postulabantibus: quidam enim Philippum presbyterum cupiebant, quidam Proclum, qui etiam presbyter erat. Sed universus populus communi consensu Sisinnium optabat, qui et ipse presbyter quidem erat, non tamen in ulla intra urbem ecclesia constitutus, sed in suburbano Constantinopoleos, cui nomen est Elæa, presbyterii gradum sortitus fuerat.... Hujus autem Viri desiderio omnes laici flagrabant, tum quod pietatis nomine celeberrimus ubique esset, tum præcipue quod pauperibus fovendis etiam ultra vires suas incumberet.*

die ultima Fe-  
bruarii legiti-  
me electus,

5 Prævaluit igitur studium laicorum, ordinatusque est Sisinnius pridie Kalendas Martii, consulatu proxime sequenti, qui fuit Theodosii duodecimus et Valentiniani junioris augusti secundus. *Fuit itaque, uti e distinctis, quas Socrates hic suppedilat, notis chronicis perspicue intelligitur, anno 426 et quidem ultima Februarii die S. Sisinnius ordinatus Constantinopolitanus episcopus; quod autem ad rationem, qua id factum fuerit, jam spectat nihil quidem, quod, non dicam, illegitimam, sed vel suspectam reddat Sisinnii ordinationem, in jam datis Socratis verbis occurrit; verum, etsi sic habeat, eam tamen carpere et arrodere ausus est, qui, cathedram Constantinopolitanam ambiens, Sisinnio, uti hæc auctor ille prodit, fuerat postpositus, Philippus presbyter, e Sidensi in Pamphylia urbe, uti idem Socrates lib. 7, cap. 27 tradit, oriundus. Audi, qui hic statim post verba, proxime huc transcripta, loquatur. Post hæc, inquit, Philippus presbyter, quoniam alter ipsi antepositus fuerat, ordinationem illam pluribus reprehendit in ea, quam conscripsit, Historia christiana; ubi et ordinatum simul et ordinatores perstringens ac præcipue laicos, ea dicit, quæ litteris mandare equidem nolim: neque enim ullo modo probare possum ejus temeritatem, qui talia scriptis suis prodere ausus fuerit. Ita ille; cum autem, quæ Philippum contra Sisinnium litteris mandasse scribit, ea invidia, uti satis innuit, dumtaxat profuissent, non est sane, cur ob hæc, quam maxime etiam a Socrate improbata, an fuerit necne legitima S. Sisinnii ordinatio, revocetur in dubium.*

statim zelum  
suum contra  
hæreticos Mes-  
salianos osten-  
dit;

6 Sanctus porro statim post hanc, imo durante adhuc, a qua consecratus fuerat episcopus, Constantinopolitana, synodo ferventem adversus hæreticos Messalianos zelum, S. Attici, proximi decessoris sui, exemplum imitatus, ostendit. Colligitur id ex iis, quæ apud Photium in Bibliotheca, ab Andrea Schotto Græco-Latine edita, cod. 52 col. 39 et 40 occurrunt. Ibi enim, episcopis aliquot, qui vel de mox dictis hæreticis vel etiam contra hosce, in synodo Sidelana alteraque, a Flavianio, Antiocheno episcopo, congregata, damnatos, scripserunt, memoratis, sequentia isthæc produntur memoriæ: Scripsit et Atticus Constantinopolitanus episcopus in Pamphylia existentibus, ut undique Messalianos veluti sacros ac detestandos exturbarent. Quin et idem ad Amphilochem Sidæ præsidem si-

militer scripsit. Sisinnius item Constantinopolitanus et Theodotus Antiochenus communem epistolam ad Berinilia episcopos scripsere, cujus epistola hæc inscriptio est: Deo carissimis sacrorum collegis Beriniano et Amphilochio omnibusque adeo in Pamphylia episcopis Sisinnius atque Theodotus et universa sancta synodus, quæ Dei gratia in magna urbe Constantinopolitana coacta est consecrandi gratia Deo amatissimii episcopi Sisinnii jussu et auctoritate piatissimi et Christo cari imperatoris nostri Theodosii, salutem in Domino; ex hisce autem, quod dixi, colligi, est perspicuum. Nec dubitandum, quin, ut initio, ita etiam deinceps in quibuscumque ad ecclesiam suam spectantibus negotiis ac nominatione in arcendis ab hæreticis strenuum ac gravum sese exhibuerit Sisinnius.

7 Socrates quidem, dum præclaram Sisinnii indolem lib. 7, cap. 28 exponit, sequentem ibidem de eo loquitur in modum: Vir ob temperantiam quidem viteque sanctitatem et ob benignitatem erga pauperes celeberrimus; moribus vero simplex et affabilis ac proinde a negotiis alienus; quam ob causam molestus fuit negotiosis hominibus; apud quos in opinionem venit ignavia; ita autem, Sanctum nostrum a negotiosis seu variis sese negotiis libenter implicare solitis hominibus ignavum seu socordem judicatum fuisse, haud obscure prodit. Sed, ait in Chronologica, quæ Operis nostri tom. 1 Augusti præfigitur, Patriarcharum Constantinopolitanorum Historia num. 190 Cuperus, eum juxta Apostolum sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum, imprudens illud inquietorum hominum iudicium honori tam præclari Præsulis nihil detrahet; nam qui puriore rerum spiritualium cognitione præditi erant, de tranquilla Sisinnii simplicitate aliter judicaverunt. Hæc ille, qui deinde, duobus, quos supra recitavi, Cælestini Papæ textibus adductis, alterum præterea, ex ejusdem Cælestini, quæ apud Labbeum tom. 3 Concil. col. 1070 exstat, epistola, post Nestorii damnationem ad synodum Ephesinam scripta, desumptum sequentibusque hisce de S. Maximiano, Sisinnii post Nestorium successore, verbis Talem successorem quærebat sanctæ memoriæ Sisinnii beata simplicitas, ut locum suum non nisi sui similis obtineret; etenim melius agimus, si abstinentes jam ab illius sacrilegi (hæretici videlicet), qui Sisinnio proxime successerat, Nestorii nomine, sedem vacasse dicamus, conceptum, transcribit ac mox subjungit: Ex hactenus dictis colligi potest, Sisinnium perpetram a negotiosis hominibus ignaviae accusatum fuisse, cum hæc omnia potius in eo tranquillam alacritatem et simplicem simulque prudentem agendi rationem commendat.

8 Porro idem Cuperus, sancti nostri Antistitis existimationem equorundam, a quibus ignaviae accusabatur, insula calumniam violari non posse, merito æstimans, hanc e Philippi presbyteri, qui, quemadmodum jam vidimus, cathedram Constantinopolitanam ambiens, Sisinnio fuerat postpositus, æmulatione seu invidia travicse originem, sese suspicari, tandem etiam non obscure insinuat. Verum Socrates lib. 7, cap. 28 sic scribit: Mortuo Cyzicenorum episcopo, Sisinnius Proclum urbis illius episcopum ordinavit. Sed dum

etsi autem  
ignaviae et ac-  
cusatus a qui-  
busdam fuerit,  
E

F

et suspectus e  
facto hic nar-  
rato

ille

A ille eo protectionem parat, prævertentes eum Cyziceni, Dalmatium quemdam, monastica professionis virum, sibi episcopum constituerunt, idque ab illis factum est, contempta lege, qua sancitum est, ne præter sententiam episcopi Constantinopolitani ulla fiat sacerdotis ordinatio. Porro legem istam adeo neglexerunt, quod solius Attici personæ hæc prærogativa concessa esse videretur. Mansit igitur Proclus, propriæ quidem ecclesiæ administratione spoliatus, in ecclesiis vero Constantinopoleos concionando maximam gloriam adeptus est; ita historiographus laudatus; Valesius autem in hæc ejus verba ac præcipue in legem, quam memorant, sic observat: Quænam fuerit ea lex et a quo lata, incertum est. Ego imperialem legem fuisse existimo, qua cautum fuerat, ne Cyziceni præter consensum Attici, Constantinopolitani episcopi, episcopum ordinarerent.

haberi forsam  
merito potuerit.

9 Nam, si id in concilio episcoporum statutum fuisset, canonis vocabulo potius quam legis uteretur Socrates. Eam legem, mortuo B Attico, Cyziceni insuper habuerunt. Dicebant enim id privilegium specialiter Attico concessum fuisse, nec ad successores ejus pertinere. Verum fallebantur. Diu enim ante Atticum Constantinopolitani episcopi Cyzicenis præules dederant. Nam Constantii temporibus Eudoxius, episcopus Constantinopoleos, Eunomium Cyzici ordinarat episcopum. Jus itaque, uti ex hæc jam recitatis Socratis et Valesii verbis apparet, in demortui Cyzicenorum episcopi locum sufficiens alium S. Sisinnio, veluti Constantinopolitano episcopo, competebat, aut certe Cyzicenis novum sibi absque ejus consensu constituere episcopum haud licebat. Cyziceni quidem, soli Attico, non autem ejus successoribus, ut absque ejus consensu Cyzicenorum episcopus creari non posset, fuisse concessum putabant aut certe prætecebant; verum perperam, ait Valesius; cum autem, uti hinc, si assentiendum auctori huic sit, consequitur, Cyziceni episcopum a Sisinnio jam ordinatum rejicere aliumque sibi constituere, absque summa Sisinnii injuria haud potuerint, neque tamen, ut apparet, hic quidquam, quo vel Cyzicenis sese opponeret, vel sedis suæ jus læsum vindicaret, tunc egerit, hinc forsam non tantum a negotiis alienior, sed et ignavus fuerit a nonnullis existimatus. Et vero ex hujusmodi agendi ratione, nisi forsam hanc legitimam quæpiam de causa fuerit secutus, ignaviæ saltem suspectus haud prorsus, ut apparet, immerito potuit videri.

ob ea tamen,  
quæ hic ad-  
ducentur, sus-  
piciones isti exi-  
mendus vide-  
tur.

10 Verum quid si Cyziceni constituendi episcopi jus, quod sibi competere Sisinnius primum putarat, haud sat certum ac fundatum existiterit, itaque rem habere ipsemet haud dudum postprehenderit? Diu quidem ante Atticum Cyzicenis datos fuisse ab episcopis Constantinopolitanis antistites, Valesius verbis supra huc transcriptis affirmat; verum id Eunomii, qui Constantii temporibus ab Eudoxio, Constantinopolitano episcopo, ordinatus fuit Cyzicenorum episcopus, exemplo haud recte

probatum dat; legitime enim ab Eudoxio ordinatum fuisse Eunomium, nemo facile credit qui quæ de hujus ordinatione Socrates Hist. Ecclesiast. lib. 4, cap. 7, et Theodoretus lib. 2, cap. 35 scribunt, expenderit. Quare, si re ipsa forsam, uti e jam dictis concludi posse videtur, Cyzicenis dandi episcopi jus haud habuerit Sisinnius, enimvero, hæc sese non opponendo litente, quod contempto, quem ordinarat, Proclo, Dalmatium sibi adscivissent episcopum, haud intentando, ignaviæ non insimulandus suspectusve habendus, sed potius, quod ita sese nihil, quod æquitati contrarium videri posset, velle ostenderit, laudandus fuisse videtur. Adhæc Cyzicenorum ordinandi episcopi jus undequaque etiam certum habuisse credatur Sisinnius, fieri tamen potest, ut id non præ ignavia, sed præ pacis servandæ rixarumve vitandarum studio haud vindicaret. Verum sive ex agendi cum Cyzicenis, quam Sisinnius tenuit, ratione, sive e Philippi presbyteri invidia, sive alia demum quacunque ex causa ortum sit, ut in ignaviæ opinionem apud aliquos venerit, in Sisinnio equidem, quæ de eo Coelestinus Papa supra huc transcriptis verbis scribit, non ignaviam, sed tranquillam potius, ut Cuperus ait, alacritatem simplicemque ac prudentem agendi rationem commendat.

11 Nec dubitare illa ipsa sinunt, quin is Sanctus noster, ut strenuum ac vigilem pastorem deceit, Constantinopolitanam sibi creditam ecclesiam, quamdiu ei præfuit, gubernarit. Flevimus, inquit in supra citatis ad clerum et populum Constantinopolitanum literis Coelestinus, fratres carissimi, velut præscii futurorum, cito nos ejus (Sisinnii nimirum, haud diu admodum post obtentum Constantinopolitanum episcopatum vita functi) præsidio destitutos; fuisse autem Coelestinum, quod Sisinnii, e viris cito erepti, præsidio esset destitutus, fleturum, si ignavus dumtaxat is existisset, nec, ut decebat, ecclesiam Constantinopolitanam gubernasset, in animum quis inducat? absit itaque, ut vel ignaviæ merito insimulatus fuisse vel ecclesiam Constantinopolitanam haud recte administrasse Sisinnius credatur. Verum haud diu, quemadmodum vel e jam dictis nemo non intelliget, tam bono pastore gavisa est Constantinopolitana ecclesia, utpote eo, cum biennium nondum in episcopatu expleisset, orbata, ut Socrates Hist. Ecclesiast. lib. 7, cap. 28 testatur his verbis: Sisinnius autem, cum in episcopatu nondum biennium explevisset, ex hac luce migravit, Hierio et Ardarurio consibus, die nono Kalendas Januarii, seu anno Christi cdxvii, die xxiv Decembris; ut, cum e supra dictis anno cdxvii, die ultima Februarii sedem Constantinopolitanam Sanctus noster ascenderit, hanc anno uno, mensibus novem ac diebus quatuor supra viginti occupavit, utque proinde auctores, qui annis duobus episcopatum ejus definiunt, de annis incompletis debeant indubie intelligi.

gregemque us-  
que ad annum,  
quo obiit 427  
recte governa-  
vit.

F

DE